

diuum; tum etiam *mores* faciles ac suaves (nam hæc omnia quodammodo natura insunt): fortunæ subjiciuntur *opes*, quæ vel *privatae* sunt, vel *cum imperio*. De his ita sentit *Aristoteles lib. I. M. M. c. 3.*
 Ἐστὶ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ἐν ψυχῇ, οἷον αἱ ἀρεταί· τὰ δ' ἐν τῷ σώματι, οἷον ὑγίεια, καὶ ἄλλ'· τὰ δὲ ἐκτὸς, πλεῖστα, ἀρχὴ, ἡμῆ ἢ εἰ τι ἄλλο τῶν ποιῶτων. Τῶτων δὲ τὰ ἐν τῇ ψυχῇ βέλπιστα. τὰ δ' ἐν ψυχῇ ἀγαθὰ διώρισται εἰς τρεῖς, εἰς φρόνησιν, εἰς ἀρετὴν καὶ ἡδονήν. Quod verò *institutionem* concernit, illa naturæ fidem facit & eamdem perficit (Natura facit *babiles*, Ars *faciles*, Exercitatio *stabiles*). Huc ergo referunt, apud quos educatus quis fuerit, quibus studijs, & à quibus imbutus, & sub quo genere Reipubl. Unde excursio in locum communem, de Præceptoribus, deque grato erga eos animo, de præstantiâ seu excellentiâ, quâ una Reipubl. formâ alteram superet. Hancce institutionem iterum perficiunt *actiones*, quæ spectandæ & commendandæ sunt secundum singulas *virtutes*: quibus subjunguntur *honores*, quos quis virtutis ergò adeptus sit. Hactenus vitæ Progressus. Ad Egressum pertinet Mors, ubi consideratur cùm ipsa, h. e. *genus* ejus & *caussa*; tum quæ *circa eam* contigerunt, vel paullò *antè* vel *post* eam. Rectè *Ambrosius* (c. 3. de Bono mortis): *Ante mortem nulla est perfecta laudatio: neq; quisquam in hac vitâ potest definito præconio predicari, cùm posteriora ejus incerta sint.* Genus mortis est e. g. quòd aliquis *pro patriâ pugnans* fortiter occubuerit, namque dulce & decorum est pro patriâ mori, aut quòd defunctus sit *pro studio veritatis* post exantlatos maximos labores; an *gladio* perierit an *laqueo*, illud enim honestum censebatur, hoc minimè. Sub considerationem quoque cadit *etatis spatium*, & quæ quis *dixerit*, quum circa portas mortis constitutus inter tempus ac æternitatem versaretur. Adferunt etiam, quæ *morte obitâ* contigerunt, uti sunt, *pompa funebris*, *jaçtura Reipubl.* *querela* & *dolor bonorum*, *hominumq; omnium judicium*. Potissimum autem commemorari solent *honores*, siqui sint habiti defuncto. Ita Aristoteli fuit erecta statua cum inscriptione hujusmodi, *Aristoteles*

les